

Facile etiam hinc apparet, siue in primo casu totus Circulus in quatuor; siue in secundo dimidius in duos Quadrantes fuerit diuisus, arcum 90. graduum vel Quadrantem Circuli esse Mensuram Anguli Recti.

Ita arcuum AD , DB , BE , EA in circulo maximo: OQ , QN , NT , TO in mediocri; KR , RI , IS , SK in minimo; qui omnes angulos Rectos ACD , DCB , BCE , & ECA metiuntur, quilibet est graduum 90.

Si verò vel Circulus vel Semicirculus non in Quadrantes, sed in inæquales partes fuerit sectus, non minus perspicuum fiet Anguli Obtusi mensuram esse Arcum 90. gradibus majorem (180. tamen gradibus minorem): Anguli verò Acuti, arcum 90. gradibus minorem.

Sic arcus AF , OM & KH qui mensurant Angulum Obtusum ACF , sunt arcus Quadrante vel 90. gradibus majores: FB , MN & HI verò, qui acutum FCB mensurant, sunt Quadrante vel 90. gradibus minores.

Hinc & hoc sequitur; Complementa Arcuum esse, ut prius Angulorum: ut nempe is arcus, quo arcus Quadrante major excedit Quadrantem, Excessus supra Quadrantem: is verò, quo Arcus Quadrante minor à Quadrante deficit, Complementum ad Quadrantem dicatur.

Sic arcus DF , QM , RH , quibus arcus AF , OM , KH majores sunt Quadrantibus AD , OQ , KR dicuntur Excessus Arcuum